

nus vellet ire extra terram jussit hortulano quod haberet magnam curam de ea ac ipsam recte elevaret, etsi deberet incidere arborem illam totam et omnes ramos ejus ¹⁾, ut bene posset plantula illa elevari et ita profectus est dominus ille. Cumque post longum tempus reverteretur statim ivit ad viridarium dictum, dictam plantulam inspecturus. Invenit ipsam retortam et non rectam. Turbatus est valde dominus et fecit hortulanum vocari dicens ei quare plantula foret torta, qui dixit ei: 'Propter ramos pini'. Dixitque ei dominus: 'Nonne dixi tibi, etsi deberes incidere omnes ramos immo totam arborem, facies quod eleves plantulam rectam?' Jussitque quod rami pini inciderentur. Et factum est ita.

Sic eveniet tibi, imperator. Nam isti philosophi tui intendunt tantum ad elevandum filium quem dicis esse tuum (275^{ab}) quod te destrueret, et ipse erit dominus cum eis. — „Certe“ dixit imperator „ego prius destruam eum et illos“, jussitque filium mane ad suspendium deduci. Et ecce mane alter philosophus venit dicens et faciens sicut primus. Ait namque: „Imperator, si promiseritis non occidere filium vestrum dicam vobis quid boni“. Qui promisit, dixitque philosophus:

„Hippocras summus medicus quendam suum nepotem non minus sapientem eo, immo valde probum et maxime expertum in facultate medicinae habebat. Contigit tunc temporis quod filius cujusdam regis infirmabatur graviter, ita quod a cunctis medicis desperatum est de ejus vita. Consultum fuit regi ut mitteret ad sapientissimum Hippocratem. Iveruntque nuncii ad Hippocratem et dixerunt sibi causam adventus eorum. Hippocras autem dixit eis: 'Ego propter senectutem et gravitatem, ut videtis, venire non possum, sed dabo vobis nepotem meum, et si est homo in mundo qui possit juvare ²⁾ filium regis, ipse est.' Videntes autem nuncii regis quod Hippocras non poterat venire, duxerunt ad regem nepotem ipsius. Qui videns filium regis, aegrum respexit faciem regis et reginae et quaesivit a medicis de symptomatibus et accidentibus quae supervenerant patienti novitque secundum physiognomiam quod patiens erat spurius. Unde fecit sibi mane ostendi urinas utriusque parentis et infirmi didicitque etiam per urinam quod patiens non erat filius [regis]. Dixitque medicus: 'Ego volo

MEDICUS.

¹⁾ *eziandio s' egli dovesse tagliare tutte l'altre piante, während es später richtig heisst: non l'avea io detto che tue decessi tagliare tutti li rami perch' ella andasse ritta ? — ²⁾ Cod. juvari.*